

tate: quemadmodum Episcopus ex iis, quorum *libera* electio sibi competit, tenetur eligere & Ecclesie præficere, quem *ceteris magis idoneum* judicaverit, uti eodem Decreto non semel monet Synodus.

XV. Ut proinde sufficienter indicet, non aliàs permitteat Episcopo institutionem idonei, prætermisso *magis idoneo*, nisi quando *magis idoneum* eligere non potest; eò quod per Jus patronatus & præsentationem in vim illius factam juris manus habeat ligatas.

CAPUT III.

Unde defumenda major capacitas; & quomodo de ea inquirendum?

1. In determinanda idoneitate debet attendi bonum commune Ecclesie.
2. Potest minus dignus simpliciter esse dignior attentè utilitate communi.
3. In collatione Beneficiorum debet attendi quis sit melior in ordine ad utilitatem Ecclesie.
4. Debet attendi qualitas Beneficii, ut de idoneitate statuatur.
5. Etiam locus, tempus, aliæque circumstantia expendenda.
6. Subinde attendenda utilitas totius Diocesis.
7. Potest eligens aliquando præferre dignissimum, ut minus dignus excludatur.
8. Aliquando etiam irritò conatu eligendus dignissimus.
9. In provisione Beneficiorum non hominibus, sed Ecclesiis providendum.
10. Ante provisionem Beneficiorum inquirendum de qualitatibus eorum qui præfici possent.
11. Non sufficit semper inter concurrentes eligere digniorem.
12. Solicitantes Beneficia de incapacitate suspecti.
13. Collatores & Patroni debent in provisione Beneficiorum seponere omnem humanum erga consanguineos affectum.
14. Debent se munire contra mundanorum hominum sollicitationes, & colloquia.
15. Collatoribus Beneficiorum necessarius spiritus fortitudinis.
16. Expendendum quomodo ad electionem processerint Apostoli.

I. Um distributio Beneficiorum debeat fieri ad utilitatem & bonum ipsius Ecclesie etiam major vel minor idoneitas seu capacitas defumenda erit penes utilitatem & bonum commune Ecclesie: ut nimirum is dignior reputetur, qui plus ad bonum illius Ecclesie, cui per Beneficium præficatur conferre poterit, si hoc beneficium ei conferatur.

II. Quod notans S. Thomas 2. 2. q. 63. art. 2. in C. mo., net, quod dignitas alicujus personæ potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter & secundum se: & sic majoris dignitatis est, ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune.

Contingit enim quandoq; (pergit S. Thomas) quod ille qui est minus sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam, vel indulgentiam secularem; vel aliquid hujusmodi.

Ex his dein concludit: "Et quia dispensationes spiritualium principaliter ordinantur ad utilitatem communem secundum illud 1. ad Corinth. 12. *Unicusq; datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*; ideò quandoq; abs-

que acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, præferantur melioribus.

Et Quod 1. 6. q. 5. art. 3. eadem reflexione facta infert: Non ergo Episcopus tenetur semper dare *meliores simpliciter*, sed tenetur dare *meliori quoad hoc*: id est meliori quoad bonum commune & utilitatem Ecclesie.

III. Igitur Episcopus, Patronus, Collator & quivis alius cui provisio Beneficii quovis modo competit, debet attendere, quis dignior sit, non quidem secundum se, sed respectu Beneficii conferendi; sive quis officio, propter quod beneficium datur, aptior sit, quique *utilius Ecclesie* servire poterit.

IV. Hinc ulterius concluditur etiam attendendam esse qualitatem & conditionem Beneficii; ut iis attentis, expendatur quis huic Beneficio utilius deserviturus spectetur.

Quis enim ambigat, quin aliquis possit multò esse dignior & melior altero, respectu unius Beneficii, qui tamen esset minus dignus si respectus habeatur ad Beneficium alterius conditionis & naturæ.

V. Nec tantùm ipsum Beneficium secundum se considerari debet, ut de idoneitate personæ statuatur; sed & locus, tempus, aliæque circumstantiæ expendendæ sunt.

Potest enim quandoq; contingere, ut attentè solà Beneficii & officii conditione, simpliciter sit dignior, qui tamen loco, tempore aliq; circumstantiis attentis, minùs utilis futurus prævidetur, quàm alius secundum se minus capax, minùsve dignus; & per consequens juxta regulam supra positam, licet is, attentè solà Beneficii qualitate sit minùs dignus, erit tamen reputandus dignior, & alteri præferendus: quia omnibus attentis prævidetur plus Ecclesie profuturus.

VI. Ulterius quia dispensatio sive distributio Beneficiorum faciendæ est ad utilitatem Ecclesie, fieri potest, ut etiam omnibus attentis aliquis sit dignior, & utilius Beneficio vacanti deserviturus sit, & tamen Episcopus sine ulla personarum acceptione hunc digniorem postponeret alteri, qui reverè, omnibus attentis, minùs dignus est, & minore cum fructu Beneficio deserviturus.

Cùm enim Episcopus non tantùm hujus Beneficii, aut Ecclesie, cui per Beneficium hic dignior esset præficendus; sed totius suæ Diocesis rationem & curam habere, ejusque utilitatem attendere teneatur; fieri potest, ut hic tanquam dignior esset quidem promovendus ad hoc Beneficium inspectè solà utilitate hujus Ecclesie particularis nequaquam tamen attentè utilitate & bono communi totius Diocesis: quod sæpe exigit, ut alteri officio præficatur aut reservetur; cui deserviendo non tantùm uni particulari Ecclesie, sed toti Diocesi plurimùm prodesse poterit: neque alius tam idoneus huic officio, verb. grat. Archidiaconi haberi queat.

VII. Ex eodem Principio, nimirum in provisione Beneficiorum attendendam esse utilitatem communem ipsius Ecclesie, consecrarium est, quod eligens non tantùm considerare debeat, quis inter eligibiles sit absolute dignior; sed quis sit dignior ex iis quos ipse per suum suffragium cum effectu Ecclesie præficere poterit.

Quid enim, si tres sint eligibiles, at prævideatur, quòd dignior inter illos certò non sit eligendus pluralitate suffragiorum; imò prævideatur, si hunc eligam, pluralitate suffragiorum eligendus minùs dignus inter omnes. Contra verò si eligam secundum multò quidem capaciorum tertio, sed inferiorum primo; quod certò excluditur tertius & secundus eligetur. Quis ambigat, quin simili casu, attentè Ecclesie utilitate, & bono communi, non tantùm possim sed & debeam eligere secundum, præterito primo, licet omnium dignissimo. Neque enim hoc casu dignior negligitur sive postponitur ob causam

Tit. 31. De Accept. Person. vitanda in Benef. &c. Cap. III. 765

sam quæ ad negotium non pertinet, in quo consistit acceptio personarum; sed ob causam ad negotium pertinentem, nimirum, ut minùs dignus excludatur, & dignior, qui haberi potest, Ecclesie præficatur.

VIII. Unde si quis sua electione minùs dignum cum effectu excludere non posset, omnium dignissimum eligere deberet; etsi sciret hunc cum effectu non esse promovendum. Quin & prioris casu, nonnumquam ad evitandum scandalum, palàm edicere tenetur, se primum omnium capacissimum, non nisi cogente necessitate, scilicet excludendi minùs dignum, præterire.

IX. Si ergò juxta certissimas justitiæ distributiæ leges Beneficia conferenda sint dignioribus attentè Ecclesie utilitate & bono communi, meritò Patroni & Collatores Beneficiorum altissimi cordibus suis insculpent autem illud Adriani VI. dictum: *Folo homines dare Beneficia, & non Beneficia hominibus*: ut nimirum semper per Beneficiorum dationem intendant Beneficiis sive Ecclesiis providere de dignioribus ministris, & non hominibus per Beneficia.

X. Insuper si Patroni & Collatores Beneficiorum teneantur tanquam fideles dispensatores Beneficia ad majorem utilitatem Ecclesie distribuere, indubiè etiam inquirere debent, quinam inter Ecclesiasticos virtute & scientiæ eminent; qui exemplo suo populum ædificent; quorum probitati & capacitati fama publica testimonium perhibent: quod & Covarruvias in relectione Capituli peccatum §. 7. num. 5. reflexit, ubi docet, tum demum Patronum satisfacere, eligendo dignum, cùm dignior non reperitur præmissa mediocri ac diligenti inquisitione nominandi: nimirum majore vel minore inquisitione pro conditione Beneficii da cuius provisione agit, "Sicut enim iis, qui ad id dignitatis (Episcopatus) electi ab aliis fuerint, non satis est de fensionem hanc asserere voluntarius ipse ad hujusmodi manus administrandum non accessit... neque eos, qui elegerint sublevare quiddam poterit, si dixerint, ignorasse se eum quem elegerit." Ita S. Chrysostomus De Sacerdotio cap. 2.

XI. Quare Patroni & Collatores, liberam habentes præsentationem vel Collationem, nullatenus satisfaciunt officio fidelis dispensationis, si eorum dumtaxat rationem habere velint, qui apud ipsos pro obtinendo Beneficio instant, & rogant, aut ut hodierna phrasi loquamur, *solicitant*; creduntque se satisfacere, si inter sollicitantes, digniorem eligant: cùm facile digniorem reperirent, si utilitatem Ecclesie & bonum commune ferio intendentes, eam curam inquirendi adhiberent, quam etiam adhibitam vellent à suis œconomis aut famulis, ut meliores & peritiores operarii, pro aliquo notabili ædificio extruendo, aut alio negotio temporali tractando, haberentur. Indicius non obscurus, quòd hujusmodi Patroni & Collatores major sit cura de temporalibus, quam de spiritualibus, à quibus tamen non rarò plurimum animarum æterna salus dependet. Optimi videlicet rerum estimatores, qui magnam de minimis, parvam aut nullam de maximis curam gerunt: ut de similibus per ironiam olim dixit S. Bernardus lib. 4. de Considerat. cap. 6.

XII. Latius de his actum in Tractatu de Simonia circa Beneficia parte 1. c. 9. §. 5. ubi unà ostensum est, quòd hi qui pro Beneficio, præsertim curato, rogant & sollicitant, vel hoc titulo meritò à Patronis & Collatoribus habeantur suspecti, tanquam Beneficio obundo minùs idonei, juxta illud S. Bernardi lib. 4. De Considerat. ad Eugenium cap. 4. pro quo rogare, sit suspectus ipse, qui ipse rogat pro se jam judicatus est. nec interest per se, an per alium quis roget. Et illud S. Thomas 2. 2. quæst. 100. art. 5. ad 3. Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa presumptione redditur indignus.

XIII. Hactenus dicta de obligatione eligendi digniorum

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

rem, & attendenda sola utilitate Ecclesie, sufficienter quoque ostendunt, omninò necessarium esse, ut Patroni & Collatores omnem humanum erga consanguineos & familiares affectum deponant, dum de Beneficiorum collatione deliberant. Si enim eo affectu ipsos laborare contingat, facile fiet, ut hoc affectu præventi & excecati, consanguineos licet minùs dignos præferant dignioribus extraneis.

XIV. Imò necesse erit, ut Patroni & Collatores se contra hominum mundanorum (qui in Beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis non nisi luca & honores seculi respiciunt) preces sollicitationes, humanaeque eorum ratiocinationes, quin & terrores, specialiter muniant ac præparent: ne alias hisce frangantur, & à tramite justitiæ cum summo suo discrimine avertantur.

XV. Verùm ad hæc omnia quis fat idoneus, nisi ei fuerit datum desuper? Quamobrem nihil magis necessarium his, quibus incumbit Ecclesie ministros constituere, & eligere, quam ad Patrem luminum, & Spiritum fortitudinis, instanter recurrere: ut ille & illuminando intellectum ostendat, quis utilior Ecclesie minister eligendus; & voluntati robur tribuat, quo adversus humanas tentationes firma permaneat.

XVI. Legimus in Actibus Apostolorum, quòd præsentatis duobus, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Mathia, ut unus eorum ad Apostolatam eligeretur ad hanc electionem properare Apostoli non sumpserint; sed ad Deum confugerint, ut ipse ostenderet, quem ex duobus ad hoc ministerium elegisset: & orantes dixerunt, ait S. Textus: *Tu Domine, qui corda nostri omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum*. "Si igitur Apostoli ipsi (inquit magnus ille Archiepiscopus Bartholomæus de Martyribus ad Patres Concilii Trident.) electioni illi faciendæ sese impares judicaverint; & si Clerus universus pro more veteri cum populo congregatus, id demum se ritè peracturum crediderit, si jejuniiis, publicisque orationibus cæleste lumen opemque divinam sibi accersissent; non horrebunt Reges (idem dic de ceteris Collatoribus) eum per seipsum delectum habere.

CAPUT IV.

Quàm grave delictum sit accipere personam in collatione Beneficiorum; & unde hæc gravitas defumenda:

1. Acceptio personarum in spiritualibus juxta Augustinum non est leve peccatum.
2. In Beneficiis curatis dicitur esse peccatum mortale.
3. Idipsum à nullis offeritur in omnibus Beneficiis.
4. Determinatio, an sit peccatum mortale vel veniale, est difficilis & periculosa.
5. Gravitas hujus peccati ponderanda ex bonis que impediuntur, & malis que causantur.
6. Hinc elucet; quàm grave sit accipere personam in promotione ad Episcopatum.
7. Idem ostenditur in electione ad Beneficium Parochiale.
8. Eadem & in Beneficiis inferioribus ponderanda.
9. Qui rectè estimat pretium animarum non facile in collatione Beneficii, præsertim curati admittet acceptionem personarum.
10. Synodus Tridentina arguit peccati mortalis, qui minùs dignos ad Episcopatum promovent.
11. Promoventes minùs dignos quomodo Ecclesia teneantur ad restitutionem?
12. Jus patronatus pro onere reputandum.
13. Plures illud horruerunt & respuerunt.
14. Noluit S. Gregorius se electioni Episcoporum immiscere.

SSC

15. Hinc

15. *Hincmarus Remensis imputavit Presbyteris, quod laici meliores non presentarent.*
 16. *Quomodo idem hodie multis Ecclesiasticis imputari possit.*
 17. *Prelati Ecclesiarum, quomodo suo Exemplo Patronos incitare ad presentandum meliores debeant.*

I.



Acceptiorem personarum in distributione beneficiorum seu honorum Ecclesiasticorum non leve esse peccatum, jam pridem credit S. Augustinus *Epist. 172. num. 18.* "Nec sane, quantum arbitror (ait) putandum est leve esse peccatum in personarum acceptiorem habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad se, dem honoris Ecclesie, contempto paupere instructione, re atque sanctiore.

II. Hic Augustinum loqui de dignitatibus & ministeriis Ecclesiasticis; atque acceptiorem personarum in horum distributione non esse leve peccatum, post S. Thomam 2. 2. *quest. 63. art. 2.* in argumento *Sed contra*, tradunt uno consensu Theologi; asseritque post Sotum Gabriel Vasquez tractatu *De Benef. cap. 2. §. 3. dub. 8.* quod in Episcopatibus & beneficiis curam animarum habentibus annexam, semper sit eligendus dignior sub culpa *mortali*: additque: "In hoc nullus dubitat, quoniam est injustitia in re gravi: ideoque necessitudo erit *mortale*."

III. Quin & ipse Vasquez credit, quod in omnibus beneficiis sit *mortale digniore* prætermittere: quia & hic est *gravis* materia. "Omnia enim ista beneficia (inquit) ut bona communia distribuenda pro meritis sunt in Christiana Republica, præcipue præstima illa, quæ instituta sunt ad alendos ministros Ecclesie, qui eligendi sunt, ut digniores esse, aut fore speratur Ecclesie."

Citat in eandem sententiam Covarruviam in *relezione Capituli peccatum §. 7. num. 5.* ubi docet, quod "si Fundator beneficii ad beneficium vocaverit ex certa familia, & plures sint capaces ex illa familia, tunc Patronus sub *mortalis* culpæ reatu, inspectâ materiâ, subjectâ, tenebitur digniore Episcopo exhibere."

IV. Verum quia teste Augustino *lib. 21. De Civit. Dei cap. 27.* quæ sunt peccata mortifera, quæ venialia, difficillimum est invenire, periculosissimum definire: & ut ait in *Enchiridio c. 77.* quæ sint mortifera, quæ venialia peccata, quæ levia, quæ gravia; non humano, sed divino sunt pensanda iudicio, ideo nolo hic determinare, quando nam præcisè in acceptiorem personarum sit peccatum *mortale*, quando *veniale*; id mihi sufficit, numquam sine culpa, eaque non *levi*, in hac materia esse acceptiorem personarum.

V. Porro gravitas acceptiorem personarum sive violationis justitiæ distributiæ in hac materia ex duobus potissimum ponderanda videtur: nimirum ex multis gravibusque Ecclesie bonis, quæ per promotionem minus digni contempto digniore impediuntur; deinde ex malis, quæ per digniorem, non verò per minus dignum impediuntur.

Ad bona quod attinet, omnia illa censentur impedi per acceptiorem personarum, quæ in functione talis Ministerii Ecclesiastici dignior præ minus digno procurasset.

Mala verò Ecclesie, quæ peccatum acceptiorem personarum augent, sunt ea omnia, quæ dignior postpositus, præ minus digno impedire potuisset.

Hinc facile est intelligere, quàm enorme ac perniciosum possit esse hoc acceptiorem personarum crimen.

VI. Quid enim, si ad Episcopatum minus dignus præ

digniore eligatur? Quàm multa sapè animarum lucra, quotque Diocesis, imò interdum totius Ecclesie bona spiritualia impediuntur, quæ dignior præ minus digno in sua Diocesi procurasset: imò in reliquis nonnumquam Dioceses & Provincias distulisset? Quàm multa rursus mala impedire, quot abusus extirpare doctrinâ & pietate eminentior potuisset, quæ alius dotibus illis destitutus, impedire aut extirpare vel non potuit vel non voluit.

VII. Similiter quantum ad reformationem Cleri & populi, ad extirpationem vitiorum, & virtutum omnium augmentum, ipsarumque animarum salutem promovendam nonnumquam valeat Archipresbyter, Archiepiscopus, Decanus, Plebanus, Pastor aliusque animarum director eruditione morumque integritate excellens, præ alio qui eruditione morumque integritate est inferior, nullus est qui non intelligat, & quotidianâ experientiâ est planissimum. Quis enim non quotidie experitur, quantum, vel unus interdum, in dignitate, aut notabili aliqua Ecclesiastica functione constitutus, per eminentem suam scientiam, fundatissimamque pietatem, fructum in messe Dominica faciat, præ multis aliis scientiâ & eruditione inferioribus?

VIII. Quinimò non ratò sit, ut etiam inferiori Ministerio aut functioni Ecclesiasticæ applicatus, in pietate atque scientia exercitatorum exemplo, tum oratione tum etiam instructione, plurima bona fidei populo, præ minus exercitato sit procuraturus, aut mala impediturus: ut consequenter nec leve futurum sit peccatum in simili provisione accipere personam, id est, ex privato affectu minus dignum digniori præponere.

IX. Divinitus dictum est olim à Sancto quodam Pontifice: *Estimet quis pretium Domini gregis, ut sciat quod meritis constituendi deceat esse Pastorem* Dioco quoque, *estimet quis pretium Domini gregis*, id est, salutem animarum, ut sciat quam grave sit peccatum accipere personas in collatione beneficiorum: ex quo contingit impediti quò minus Dominico gregi ea omnia bona, quæ dignior impendere potuisset, frequenter non impendantur; aut mala per digniorem avertenda, sæpius non avertantur.

X. Ex quibus concluditur, admodum esse verendum, ne quod Synodus Tridentina de concurrentibus ad promotionem Episcoporum affirmat, id coram summo animarum Pastore gregis sui pretium in veritate æstimante, in collatoribus quorumcumque beneficiorum, præsertim tamen curatorum, locum habeat: nimirum, *post alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores Ecclesie magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præcisè diligenter curaverint.*

XI. Facile quoque ex hæcenus dictis est intelligere, quod promoventes minus dignum neglecto digniore, non tantum rei constituentur graves delicti; sed etiam ipsi Ecclesie, cujus in distributione beneficiorum constituti sunt ministri, ob infidelem dispensationem teneantur ad restitutionem bonorum, præcipue spiritualium, quæ per promotionem dignissimi (quam Ecclesie ut fideles Ministri debebant) procurata fuissent: adeoque Patronis ac Collatoribus, qui hac in parte infideles fuerunt, incumbat, quantum in ipsis est, bona spiritualia illi Ecclesie, cui, minus dignum Ministerium dando, illa quasi abstulerunt, omni meliori modo procurare; atque ita justitiæ violatæ satisfacere.

XII. Ex his facile intelligitur, qui oculos spirituales habent, ut videant, jus patronatûs, aut jus collationis aut jus electionis ad Dignitates Ecclesiasticas, non tam esse reputandum tamquam aliquid multum appetibile; sed potius ut onus humeris suis impositum.

XIII. Ne-

XIII. Neque mirabitur, qui obligationem & pericula Patronorum & Collatorum expendit, si plures hoc onus exhorruerint, & à se adicere studuerint.

Quomodo Valentinianus Imperator; item Ludovicus VI. & Ludovicus IX. Reges Galliarum hanc Provinciam recusaverint, & horruerint ob pericula illi annexa, notavimus supra *parce 1. tit. 13. cap. 5.*

Intelligebat indubie hoc onus Catharina Regina Portugallie de qua in vita Bartholomæi de Martyribus *lib. 2. cap. 12.* refertur dictum: "Quod optaret ut durante suo regimine Prelati Portugallie essent immortales: quod fieret ut nullum ad Episcopatum promovere teneretur: dicens, sibi plus quam satis esse, si pro se ipsa & toto suo regno deberet respondere, licet se responsalem non constitueret pro salute animarum."

XIV. Sed quid mirum, si Reges aut Principes, alii fideles laici onus illud reformidarint; cum & ipse Gregorius M. Summus Pontifex, ad eam lamine charitatis, & celestis sapientiæ illustratus, interrogatus à Clero Mediolanensi de persona in Episcopatum eligenda responderit, se quidem contra personam illam nihil respondendum habere: "verumtamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, inquit, ad suscipienda Pastoralis curæ meæ onera, pro nullius unquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram, ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper præcius, talem vobis Pastorem præbeat, in cujus lingua & moribus exhortationis divinæ pascua valeat invenire: in cuius jus mente & humilitas cum certitudine fulgeat, & se veritas cum pietate; qui vobis viam vitæ non solum legendo vel loquendo, sed etiam vivendo possit ostendere; quatenus exemplo illius discat vestra dilectio ad æternæ patriæ desiderium suspirare."

Utinam hanc Sanctissimi Pontificis humilem deliberationem ritè expendere plures Ecclesiastici & laici,

qui quantumvis longissime à capacitate S. Gregorii in discernendis conditionibus personarum, quæ ad functiones Ecclesiasticas obeundas exiguntur, distent, a vide tamen promotioni personarum ad Ecclesiasticas dignitates se immiscerent.

XV. Olim Presbyteris suis improbrat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, quòd ipsi, sollicitando Patronos, quin & xenia eis offerendo, in causâ essent, quòd meliores & digniores Clerici non presentarentur: "Quia quique fideles (ait) si vestra culpa non esset, plus quærent bonos Clericos, quàm vestros denarios: & hoc non suffertis: sed vos & vestros nutritos in malè ditionem mittitis, cum dato Patronis præmio, vobis & illis peccatum emittis." Habetur *tom. 8. Concil. general. col. 581.*

XVI. Si hodiernas Clericorum pro beneficiis sollicitationes & cursitationes attendamus, & quomodo etiam ipsi Ecclesiastici, non pro dignioribus, sed suis consanguineis & familiaribus apud Patronos insistent, non sine fundamento judicare poterimus, quòd frequenter ipsis Ecclesiasticis sit imputandum, quòd Patroni digniores non presentent; nec veras de beneficiis Ecclesiasticis ideas concipiant: dum ea ab ipsis Ecclesiasticis ita ambi vident.

XVII. Si ipsi quoque Episcopi aliique Ecclesiarum Prelati in collatione beneficiorum ostenderent suo exemplo, nihil carni aut sanguini vel favori vel amicitie tribuendum, sed sola merita esse attendenda, indubie multum moverent Patronos, ut & ipsi in sua presentatione attenderent sola merita, & digniores presentarent: ubi è contrario dum vident Prelatos ipsos beneficia pro affectu privato potius, quàm pro meritis distribuere, quid mirum, si ipsi eorum exempla imitentur, & de beneficiis non secundum merita, sed pro affectu disponant?

TITULUS XXXII.

De Peculio Clericorum.

CAPUT I.

Quid Peculium Clericorum; & quid nomine Peculii veniat; & quod jus Clericis competat?

1. Sub titulo *Decretalium De Peculio Clericorum* nulla sit mentio Peculii.
2. Quando nam Proventibus Ecclesiasticis nomen Peculii inditur; & quare?
3. Peculium Clericorum admodum simile Peculio servorum, & profectum filiorum familias.
4. Clericus per Beneficium subicitur & adstringitur Ecclesie exemplo servi ad Dominum; & filius ad patrem.
5. Qua de causa servo Peculium concessum; & in quo Peculium consistat.
6. Quid Peculium profectuum filiorum familias?
7. Peculium non est nisi petendum Domini vel patris.
8. Beneficium dicitur patrimonium servi; & quare?
9. Dominum Peculii semper manet apud Dominum; ut & profectum apud patrem: & quidquid ex illo acquiritur, Domino vel patri acquiritur.
10. Hac ostendunt titulum *Decretalium non male inscribi de Peculio Clericorum.*
11. Refertur textus primæ *Decretalis* hujus tituli.
12. Unde desumpta?
13. Auctor hujus *Decretalis* reflexit ad Canonem 49. Conc. Carthag. lll. cujus verba referuntur. Van Espen *jur. Eccl. P. II.*

14. Ex eodem *Canone desumpta* apparet 3. *Decretalis* hujus tituli.
15. *Decretales* volunt inquiri, num Clericus ante Ordinationem nihil habuerit, & quare ratio inquisitionis?
16. Juxta *Canones* quidquid acquiritur ex proventibus Ecclesiasticis, cedit Ecclesie.
17. Hinc Peculium Clericorum simile Peculio servi, & profectum filiorum familias.
18. Dominum Peculii Clericorum manet apud Ecclesiam, sicut Peculii servi apud Dominum.
19. Ad supponunt *Canones* qui dicunt, res comparatas ex proventibus Ecclesiasticis competere Ecclesie.
20. Clericos non esse dominos proventuum Ecclesiasticorum in *Canonibus* clare expressum.
21. Rectè dicuntur esse Peculium Clericorum, licet non habeant dominum.
22. Tempore Augustini, Episcopi credebantur Domini bonorum Ecclesiasticorum, quamvis tantum essent administratores.
23. Qua ratione dici possint Clerici hodie esse Domini proventuum Ecclesiasticorum, & illos illos facere?
24. Ad Peculium Clericorum referendum quidquid contemplatione Ecclesie ipsis obvenit.
25. Non tantum quæ ex fructibus Beneficiorum.
26. Etiam honoraria pro celebrandis Missis, habendis concionibus &c.
27. Ostendunt etiam hac inveni Ecclesia percipi.
28. Nequeunt hac ab aliis Ecclesiasticis proventibus separari.